

Pudicus  
Christum  
ut Cedrum  
exaltat.

Richard.  
Victorin.

Christus ex-  
celsus, quia  
ex Virgine  
natus.

S. August.

Abbas  
Beccensis.

Christus pu-  
dicis tribuit  
in terris fe-  
licitatem  
Angelorum  
in caelis.

S. Thom.

S. Bernard.

S. Zenon.

mendam? Nihil sanè poterat adduci oportunius ad Sponsæ mentem. Nam Libanus juxta sui nominis notationem, candidus, imò ipse candor est, castitatis candorem, & pudicitie studiosos designans. Ab his profectò quantus sit Christus, quanta ejus pulchritudo & proceritas, gloriosissime manifestatur. Unde argutè Richardus Victorinus premens illud species ejus ut Libani, sic illustrat: Species Christi sunt Virgines. Et hanc esse, subdit, Speciem illam, quam Deus ipse concupivit Psalmo quadragesimo quarto, v. duodecimo. Tanta est castitatis præstantia & virginitatis pulchritudo in corpore humano resplendens, ut eam sibi Deus concupierit, & humanam naturam assumpserit, ut tali specie conspicuus appareret, & quantus ipse esset, demonstraretur. Humilis apparuit, quia homo ex hominibus; sed eximie excelsus, quia ex Virgine virginitatis specie condecoratus. Sic agebat sanctus Augustinus libro primo de Symbolo ad catechumen. loquens de humana Christi natura. Unde humilis? quia homo natus est ex hominibus. Unde excelsus? quia ex Virgine. Verè species ejus ut Libani; procerus ut Cedri.

1948 Sed adhuc his verbis haud obscure apparet immortalitas, & incorruptibilitas illa, quam ipse per pudicitie virtutem pudicis influit hominibus. Ostendit Guilielmus Parvus Abbas Beccensis ad ea Cantic. verba, Electus ut Cedri, ita præclare: Quia mirum eos, quos elegit ex genere humano, ad æqualitatem & consortium Angelorum elegit. Nam in Evangelio, illos, qui digni habentur saeculo illo, & resurrectione ex mortuis, Angelis dicit æquales futuros. Matthæi vigesimo secundo, v. trigesimo. In resurrectione neque nubent, neque nubentur; sed erunt sicut Angeli Dei in caelo. Ita enim membra ejus per gratiam trahunt similitudinem capitis sui, ut per eam sanctis Angelis coquantur in felicitate perenni. Vides, qua ratione Christus appareat in castitatis cultoribus, in Libano, in candidis, in candore, electus, procerus ut Cedri? Profectò eis tribuens in terris felicitatem, qua potiuntur Angeli in caelis, immortalitatem nempe & incorruptibilitatem, quasi ex natura hominum in Angelicam eos transtulit per castitatis vigorem; atque ad eò ex mortalibus in immortales, ex corruptibilibus in incorruptibiles. Sapientissime sanctus Thomas Opusc. 221. Ad hoc Dei Filius venit in mundum carne assumpta, ut nos ad resurrectionis statum promoveret, in quo neque nubent, neque nubentur: sed erunt sicut Angeli Dei in caelo. Unde & continentia & integritatis doctrinam introduxit, ut in fidelium vita resplendeat aliquantulum gloria futura imago. Lege Bernardum Epistola quadragesima secunda, & in ferm. 2. ad Fratres de altitudine cordis, ubi hæc inter alia: Quis calibem vitam, vitam caelestem & Angelicam dicere vereatur? Aut quòd in resurrectione futuri sunt omnes electi, quomodo non jam nunc estis sicut Angeli Dei in caelo à nuptiis penitus abstinentes, Angeli quidem terreni, aut potius cali cives? Adde sententiosa sancti Zenonis Veronensis verba, Sermone de Pudicitia: Esto sancta corpore & spiritu, amore Christi ignem carnis extingue: ut resurrectionis gloriam, quam hic tibi vendicas, taceam, in qua, ut Dominus ait, neque nubent, neque nubentur,

sed sicut Angeli erunt. Preme illud, resurrectionis gloriam hic tibi vendicas. Qui in hac vita eam amat puritatem, quæ Angelorum & hominum in caelis beatitudo gaudet, resurrectionis gloria immortalis, & incorruptibili superstes adhuc quodammodo potitur, dum eam hic sibi vendicat.

1949 Huc spectat arcana illa structura, & apparatus egregius Ferculi Salomonici Cant. 3. 9. Ferculum fecit sibi Rex Salomon de lignis Libani, &c. De Regio vehiculo, sive triumphali curru, sermo est Grammaticalis, quo Rex Salomon vehebatur per urbem suamque magnificentiam & gloriam populo ostendebat. Certè penitior hujus Ferculi sensus ad Christum spectat, Christique gloriosam exaltationem in castitatis cultoribus; ut ex Paulo deduco 1. Corint. 6. v. 20. ubi loquens de pudicitie virtute, & ad illam exhortans, concludit: Glorificate & portate Deum in corpore vestro. Græca addunt: & in spiritu vestro, qua sunt Dei. Quasi dicat: Si pudici corpore & mente; si castitatis cultores sitis, eritis ad instar pompatici gestaminis, seu triumphalis currus, quo Deus ipse gloriosissime exaltetur suam ostentans supereminentem magnitudinem, & triumphans maxime sublimis. Et quidem qui præcipuus illius Ferculi ornatus erat, satis ostendit illud ad pudicitie studiosos spectare. Media charitate constravit? id est, rebus amabilibus, & pretiosis; puta gemmis, lapidibusque lucidis. Sic explicat noster Sanctus, sumens abstractum pro concreto, charitatem pro amabilibus & gratis, quod in Scriptura est obvium. Unde ex Hebræo veritas: Medium ejus constravit lapidibus amoris. Quid hoc? Ostendit S. Gregor. Nyssenus Orat. 7. in Cant. Venerandam virginitatem esse statuamus, qua in ferculo, virtutum puritate, tanquam radiis quibusdam pretiosorum lapidum fulgeat. Subinde ergo arcanissime dictum putaveris, pompaticum hoc ferculum, ex lignis Libani fabricatum, id est, de Cedris impuribilibus, & immortalis naturæ: videlicet de Sanctis in æternum permanens, ut Magnus exponit Gregorius. De lignis Libani per puritatem & incorruptionem. Interpretatur Hugo de S. Victore Erudi. Theolog. ex Miscellaneorum libro primo, capite sexto. Ecce tibi quomodo illorum corpus, in quo præcipuus ornatus extat ipsa virginalis pudicitia amabilis & grata, vel in hac mortali vita potitur futuræ Beatitudinis incorruptibilitate & immortalitate. Tali ferculo incorporatum Verbum triumphat gloriosissime: & tali curru, è caelo ad terras triumphator advenit. Ut enim sanctus Nyssenus in Oratione de Nativitate Christi, Benedictus qui venit in nomine Domini. Quomodo autem venit? non curru aliquo, sed incorrupta virginitate.

1950 Pro illis verbis, Media charitate constravit, sic extulit: Posuit in medio ejus arcam testimonii. Sic appellat sanctus Hieronymus Virginitatis cultores. Sponsa Christi Arca est testamenti intrinsecus & extrinsecus deaurata: custos legis Domini. Porro meditate Arca illa dicitur de lignis impuribilibus fabricata, ut legitur LXX. ubi Vulgatus de lignis setim. Ut ipsa Arca materies, quæ nullam unquam puretatem trahit, mysticè ostendat Virginitatis incorruptibilitatem, & immortalitatem. Vel, ut Origenes loquitur

Cant. 3. 9.

Salomonis  
ferculum ad  
Christum  
spectat in  
castitatis  
cultoribus  
exaltatum;

1. Cor. 6.  
20.

S. Nyssen.

S. Nyssen.

S. Hieron.

Orige-  
loquitur

loquitur in re simili Homilia decima tertia in Exodum. Ligna autem impuribilia, id est, incorruptionis & virginitatis gratiam. Legendus sanctus Gregorius Nyssenus in Opere de vera & incorrupta virginitate, præsertim capite decimo tertio, ubi argutè ostendit, virginitatem morte ipsa potentiosem esse, & esse omnino lapidem prægrandem, quo atteritur quodammodo, ac dissolvitur potentia mortis, quasi non habeat quibus ipsius stimulus insigatur.

pressus, qua feralis arbor est, mortis & tæneris symbolum, & à Gentilibus Diti inferorum Deo dicata, ut numero millesimo sexcentesimo decimo octavo statuumus. Quasi exaltata ibi Dei Sapientia nihil aliud proclamet, nisi Memorare novissima tua. Sic homines, altunde in utramque aurem soporatos, vigilantissimos facit; imò immortales, suam illis donans immortalitatem Cupresso designatam; est enim arbor vivacissima, perennis incorruptionis, viriditatis & odoris. His aliunde conciliemus splendorem.

SECTIO XLV.

Semper ille invigilat, cui mortis cogitationem Deus ingerit: sic immortalis fit.

1951 Longa est commodorum series, & bonorum copia magna, quæ de exsomnia vigilia oriuntur, & ea recensere longum satis esset. Sat sit dicere cum S. Leone Sermon. 2. de Epiphania; Non dormientibus provenit regnum calorum, sed in mandatis Dei vigilantibus. Et cum Chrysostomo Homilia prima in Acta: Non datur gratia nisi vigilantibus. Uque adeò hoc verum est, ut ipsa Dei gratia, & æternæ felicitatis gloria, vigilarum, vel evigilantium nomine appellentur à Davide Psalmo decimo sexto, vers. decimo quinto. Satiabor cum apparuerit gloria tua. Ex Hebræo veritas: cum evigilaveris similitudo tua. Et cum Hieronymo: Implebor, cum vigilaveris, similitudine tua. Ubi similitudo est vel ipsa gratia sanctificans, per quam Deo similes reddimur, vel beatitudo, quæ est expressa Dei imago. Evigilat gratia, evigilat gloria, & utraque nos evigilare facit: gratia vigilamus, & gloria, quasi ipsa Dei vigilia affectu. Unde Tertullianus libro de Trinitate: Dei oculum, dixit, somni expertem, quoniam est ipsa lux, vigilia mirum ex ipso natura ordine deputata. Vides per compendium, quanta sint vigilantie emolumenta? Qui semper vigilat, semper Deum vigiliarium habet, perpetuum excubitozem gratiam ipsam, ipsamque beatitudinem æternam ei invigilaturam. Igitur, si semper vigilare, tanti nostra interest, quid præstandum ut semper vigilemus? Certè nihil est, quod sic vigilantes faciat, ut lethi recordatio. Deus, qui totus oculus, totus vigilia est, ut à somno nos excitet, & vigiliæ addictissimos faciat, morus memoriam nobis ingerit.

S. Leo.

Gratia &  
gloria non  
nisi vigi-  
lantibus  
datur.

S. Chryl.  
Pl. 16. 15.

Ipsamet  
gratia, &  
gloria evi-  
gilant.

Deus oculus  
est somni  
expers.

Tertull.

Mortis me-  
moriam vigi-  
lantes facit.

Cypressus  
mortis sym-  
bolum in  
Sion, id est,  
specula.

1953 Luca duodecimo, vigilantes vult suos cultores Christus Dominus, & semper vigilantes describit, dum eos præcinctos, & lucernas ardentes in manibus gestantes, atque exsomnes in omni noctis vigilia proponit. Sint lumbi vestri præcincti, & lucerne ardentes in manibus vestris, &c. Ubi sanctus Gregorius Nyssenus apud sanctum Thomam in Catena: Propter vigiliam observandam Dominus monuit, ut sint lumbi præcincti, & lucerne ardentes: lumen enim oppositum oculis pellit somnolemiam oculorum: lumbi etiam cingulo perstricti reddunt corpus insusceptibile somni. Expende modò, quo actu, qua arte servos suos Deus exsomnia vigiliæ addixit. Hoc autem sciote, quoniam si sciret Pater familias qua hora fur veniret, vigilaret utique, & non ineret perfodi domum suam. Et vos estote parati, quia qua hora non putatis, Filius hominis veniet. Profectò continuam mortis memoriam ingerendo, vigilantissimos facit: ut enim parati sint, id est, præcincti & cum lampadibus, tanquam seduli excubitozes, adventum Domini, & furis inopinatum & certum, diem videlicet mortis ob oculos proponit. Sic meditata mors erit illis amuletum non solum adversus humanam somnolemiam, sed adversus mortalitatem ipsam: quasi ex jugi mortis recordatione infomnis vigilantia, ex vigilantia immortalitas emergat. Rectè proinde hic sanctus Gregorius: Nesciente Patre familias, fur domum perfodit, quia dum à suis custodia spiritus dormit, improvisa mors veniens carnis nostræ habitaculum irrumpit; furi autem resisteret, si vigilaret. Certè dum homines desidiofi sunt, supini, negligentes, somniculosi in animarum suarum incolumitate, mors tanquam fur advenit, & domum corporis perfodit atque corrumpit. Si verò ex præmaturè meditata morte vigilans sit, vitam redimet vigilantia ipsa, & immortalitatem merabitur, furi aliàs potentissimo, morti nempe, resistendo: furi autem resisteret, si vigilet.

Luc. 12.

S. Nyssen.

Mors, ut  
fur, vigi-  
lantia vin-  
citur.

1954 Apocal. 5. vers. sexto sic habes: Et ecce in medio throni, & quatuor animalium, & in medio seniorum, Agnum stantem tanquam occisum habentem oculos septem: id est, plurimos, ac penè innumeros. Indubium est, quin Agni nomine significetur Christus Dominus. Cernis illum totum oculatum, totum vigilantem? Unde tanta Agno perspicacia, tot oculi, tantaque vigilantia? Cum sit ipsa Dei corporata Sapientia, à Patre habet quòd oculatissimus sit & perspicacissimus ad prævidendum, ad providendum, quin vel ad instans valeat oculos suæ perspicaciae claudere, dormire, aut dormire. Benè hoc esto: addiderim tamen, tunc arcanissime oculatissimum vigilantissimumque apparere, cum mortem suam præ oculis habet. Quando enim

Agnus totus  
oculatus,  
quia mor-  
tem præ oculis  
habet.



enim tanquam occisus describitur, non potuit non totus oculatus describi: habentem oculos septem. Certè, vel ipse Deus, si aliquin (quod impossibile est) posset oculos suæ perspicacia claudere, & operari, tunc maxime innumeris vigilaret oculis, cum mors illi ante oculos observaretur. Voluit igitur Deus mori, ut ex præmeditata morte quasi addiceret usque adeo vigilantem & oculatum; imò & novâ quadam ratione & titulo immortalẽ esse. Propterea dicitur, cum vigilantissimis oculis insignitus apparet, non occisus, sed quasi occisus: non ut hinc Hæretici probent, Christum haud quaquam fuisse mortuum (siquidem non occisus, sed tanquam occisus, à Joanne appellatur,) sed ut ostendatur, etsi verè mortuus fuerit, mortem tamen illam non veram mortem esse appellandam ubi tot oculis vigilatur, sed quasi mortem. Cum vigilantissimi hominis mors non mors ei sit, sed ipse potius mortis mors & verâ dilusio. Ero mors tua, ô mors! Ose 13. 14. Hinc Agnum Joannes, cum tanquam occisum nominat, nominat quoque viventem in sæcula sæculorum.

Sic mortem devicit.

Ose. 13. 14.

Agni signatores, oculati ex mortis memoria.

Plus vigilare, plus vivere est, S. Chryl.

In Elia dormiente designatus homo male soporatus. 3. Reg. 19.

Lyran.

rerum perfugio, in quo nihil nisi spinarum aculei, perversè conqueſcunt somno occupati. De dormientibus sive negligentibus Religiosis illum somnum interpretatur Odo de Morim in Catena Tilmanni. Sub umbra quiescit juniperi, qui in proposito religionis à districtione Ordinis se relaxat. Quid ergo remedii adhibendum, ut Elias, ut tepidus cœnobita, ut mundanus quivis à somno, à tam gravi soporè excitetur, & vigilantissimus perſet, sterque perdius atque pernox? Planè è cœlo adſuit, dum excitatus ab Angelo subcinericium panem invenit, quo semel atque iterum refectus, somnum excutit, & perdius ac pernox arduum iter confecit quadraginta dierum, & totidem noctium usque ad montem Horeb. Ecce ad caput suum subcinericium panis, &c. comedit, & ambulavit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus, & quadraginta noctibus usque ad montem Dei Horeb. Cernis somni amuletum, vigiliarum subsidium, panem subcinericium? Arcana refectio hæc est. Pane reficitur, sed subcinericio, sive cineribus cooperto: illo nempe, de quo David Psalm. 101. 10. Et cinerem tanquam panem manducabam. Ac si diceret (ait Balduinus relatus ab incognito.) Memoriam conditionis meæ, quia memini me cinerem & pulverem, panis mihi est, refectio mea est roburans & confirmans me. Similiter Hugo Carensis & alii. Unde præclare Stephanus Anglicus apud Tilmannum. Hic est panis subcinericium, qui datus est Elia, nostra scilicet abjectionis memoria. Ecce tibi qua ratione excitetur & vigilantissimus reddatur quæ aliàs somno ac desidie se tradiderat; videlicet si è cœlo illi ingerat Deus jugem mortis memoriam: si præmeditata mortis subcinericio vescatur pane, si sæpè hoc reficiatur cibo, longam, vel potius brevem, sed arduam hujus peregrinationis conficiet viam usque ad montem Dei Horeb, usque ad Empyream gloriam: cujus dotem Elias ex mortis memoria vigilantissimus prægustavit in ea sua peregrinatione. Ut enim Abulensis putat 3. Regum 19. quæstione octava. Deus voluit ad tempus concedere illi quandam dotem gloriæ, scilicet incorruptibilitatem. Ex mortis memoria vigilantissimus; ex vigilantia quodammodo incorruptibilis & immortalis. O mors quam quæstiosa est memoria tua!

Odo de Morim.

Mortis memoria excitatur, & vigilantis immortalis redditur.

Pf. 101. 10. Balduin.

Steph. Anglic.

Abulen.

Sol vigilantissimus à morte & sepulchro præ oculis habitus.

S. Ambros.

S. Zeno.

occafui

1957 Quid Sole vigilantius? quid oculatius? Juxta Dei præscriptum indefensâ & nunquam intermissâ vigilantia suam peragit iter, gyrans per omnes mundi plagas, quin vel ad instans obdormiat & cesseret à motu suo velocissimo. Ab hac ex somni vigilantia appellatur Sol à sancto Ambrosio 4. Hexam. 1. Oculis mundi: & à Secundo Philosopho, Cæli oculus. Totus oculus est, somni expers, ipsa vigilantia est, quæ dormientes à somno excitat, & vigilare facit. Expende modò trita, sed peropportuna sancti Zenonis Veronensis verba Sermonis de Resurrectione. Sol quotidie nascitur, eademque die, qua nascitur, emoriitur, nec tamen instantis finis sorte terretur, ut suos retardet cursus, sed fidelis semper, inrepedi ad sepulchrum noctis contendit, sciens in ipso habere quod vivat. Ecce unde tanta in sole vigilantia, à morte, à sepulchro, ab

occafui suo, quem semper præ oculis habet totus ipse oculus, & oculatissimus vigil. Non ei occasus oculos claudit, & sopore gravat, imò perspicacior reddit, ut in ipso occafui videat, & iterum exoriatur perfecta luce, novisque luminibus ad novos cursus novasque vigilias. Oritur Sol (ait Ecclesiast. cap. 1. 5. juxta Chaldaei translationem apud Bibliam Complutensem) in die à plaga orientali: occidit sol in plaga occidentali: in nocte respicit. Sic hoc lucidum & vigilantissimum Sidus immortale fit, semper redivivâ gloriâ renascens. Optimum quidem vigilantissimi animi hieroglyphicum; quo docemur, quantum valeat sedula mortis memoria; ne malè soporemur, sed semper invigilemus, & vigilando renovemur: in dies vitâ immortalitatis æmulâ, ut æternum vivamus.

Eccles. 1. 5. Inde immortalis.

Prov. 4. 23.

Cor vigilans ex mortis recordatione.

Pf. 129. 6. Cant. 5. 2.

Nyssen.

Cant. 1. 12.

Nyffe.

1958 Proverbiorum 4. 23. monebat Salomon. Omni custodia custodi cor tuum, quia ex ipso vita procedit. Ex Hebræo veritas: Omni vigilantia. Vel etiam omni statione & specula, è qua vigiles & excubitores solent speculari & lustrare omnia circumcirca, ne quâ hostis irrumpat. Igitur, sicut milites omni custodia, id est, qualibet diei, & noctis vigiliâ, custodiunt urbem & castra, sic tu qualibet hora, & momento diei, ac noctis custodi cor tuum, à custodia matutina usque ad noctem. Sic observabat Sponsa Cant. 5. 2. Ego dormio, & cor meum vigilat: id est, omni rei voluptaria dormit, & omni motu corporeo sopito, nuda puraque mente, quasi per divinam quandam vigiliam Dei patefactionem recipit, ut interpretatur Nyssenus. Ast quodnam sibi adhibuit Sponsa adversus somnum amuletum, quo assidue vigilaret? Ipsamet aperit Cant. 1. 12. Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur, Hebræicè, pernoctabit, stabili, jugique mansione, in corde meo. Certè, myrrham mortis esse symbolum, nemo est, qui ambiget, ait idem Nyssenus Hom. 13. in Cant. Hinc tam oculata, tam vigilans die nocteque Sponsa super custodiam cordis sui, Myrrham pro amuleto habuit, mortis nempe jugem meditationem, quam Sponsus ei injectit, ut assidue vigilaret; imò ut immortalis redderetur: ut enim myrrha à corruptione præservat, ita præmeditata mors.

SECTIO XLVI.

Semper pura sanctitas palmam tulit, vel contra potentissimos quosque hostes.

Palma victoriae symbolum.

Virgil.

Pf. 44. 10.

1959 St hoc, quod symbolicè, & ad mores opportunè, exprimitur à Siracide illis verbis: Sicut palma exaltata sum in Cades. Palma enim (ut n. 1621. diximus) decantatissimum est victoriae emblema, unde pro victoria ipsa solet usurpari apud Poëtam 5. Æneid. v. 339. Et nunc tertia palma Dioces. Locus autem, ubi palma illa exaltata dicitur, Cades nominatur, id est, sanctitas, sanctum, sanctificatum, consecratum. Ut plane designetur victrix sanctitas palmam semper ferens, & palmarum, sive victoriarum feracissima, uti erat tractus ille Cades. De Ecclesia Christiana sic præcinit David Pl. 44. 10. Astitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato circumdata varietate. Quod v. 15. dixit; Circumamicta varietatibus: & de P. Ildeph. de Flores in Eccles.

glorioso amictu solet usurpari picto, scutu lato, variegato, imaginato & palmato: de Ecclesia vestri ob sanctitatem. S. Ildo. mo. e. 24. Toga palmata dicebatur, quam merebantur ii, qui reportabant de hostibus palmas. Ipsa vocabatur & toga picta, eò quod victorias cum palmis inextas haberet. Hac certè palmata cyclade Ecclesia exornatur, ut quæ gloriosos de potentissimis quibusque hostibus triumphos retulerit, feratque in dies. Cupis scire, unde tot ei palmæ & triumphus? Liquidò constat ex contextu; quippe omnis gloria eius filie Regis ab inuis. Quid hoc? Verba Sponsi Jesu sunt, qui intimam Ecclesie puritatem vidit, ut interpretatur S. Basilus. Et Augustinus S. Basilus festivè & egregiè. Intus pulchram novit. Quæ sunt interiora pulchritudinis? Conscientia. Ibi videt Christus, ibi amat Christus, ibi coronat Christus. Ecce tibi, unde palmata Ecclesie vestis, unde victoria, & triumphus; à sanctitate interna, à conscientie puritate, quæ oculos, & cor Christi allicit & rapit, & per quam suos coronat ut triumphatores, donans eis palmatam vestem.

Palmata Ecclesia vestri ob sanctitatem. S. Ildo.

S. Basilus. S. August.

Malach. 4. 2. 2.

Christus sol puritatis & victoriae & sibi, & alii.

Josu. 10. 13.

1960 Apprimè arcana sunt illa apud Malachiam decantatissima Dei verba cap. 4. 2. 2. Orietur vobis timentibus nomen meum Sol justitiae, & sanitas in penis ejus. Ubi justitiae vocabulum solet hic usurpari, ut in aliis etiam sacrae Scripturae locis, pro sanctitate: unde Chaldaeus vertit Sol puritatis. Verè Christus justitiae, sanctitatis, & puritatis Sol, quòd nos justificat, sanctificat, ac puros reddit. Sed peculiare est, & appositè ad rem nostram, quòd vox Hebræa zachu, quæ pro justitia ponitur, victoriam etiam significet à verbo zacha, id est, vincere. Atque adeo reddas quoque Sol victoriae. Quasi qui Sol puritatis & sanctitatis est sibi & aliis, non possit non esse similiter Sol victoriae: ubi enim pura sanctitas, & sancta puritas, ibi victoria plena & certa, ibi triumphus de inimicis felicissimus. Semper sanctitas palmam fert, semper orat, & triumphat, semper hostes debellat. Certè dum hic Solem victoriae audio atque suspicio, triumphus in mentem venit à magno Hebrææ gentis Duce Josue de quinque Palæstinæ Regibus insigniter reportatus, interim cursu Solis ad Josuanæ vocis imperium inhibito: Stetitque sol, donec ulcisceretur se gens de inimicis suis. Quis non stantem tunc Solem, victoriae solem appelleret? Ipse quidem cum stat, cum diem longissimum facit, ipse pugnat & triumphat, suâ illâ caelesti astrorum militia comitatus. Cæterum Solem alium longè eò fulgentiorem hic pugnantem & triumphantem, ac proinde victoriae Solem, animadverto: ipsum nempe Josue sanctitate conspicuum; de quo verissimè Tertullianus lib. adversus Psychicos c. 10. Stetit sol, ut exaudiret Deus hominem parem Par solis scilicet Solis. Par Solis Josue appellatur; & mysticum Solem sole ipso lucidiorem appellaverim ego; quandoquidem in se veri Solis justitiae sanctitatis, & puritatis tum nomen, tum similitudinem susceperat, quasi speculum fulgentissimos solis radios. Ut enim egregiè sanctus Nyssenus Homil. 4. in Cantica: Expurgata à verbo anima, solis circumlucum in se suscepit, & simul relucet cum